

test esse celebratio de aliquo sancto ex sola concessione, et permissione Ecclesiæ, sive universali assensu totius Ecclesiæ, et iudicio de tali sanctitate, aut cum declaratione aliqua speciali ad oppositum.

XXIII. Dico ergo, quod si celebratio Ecclesiæ de aliquo fiat absolute a tota Ecclesia sine aliqua declaratione, aut cum iudicio definitivo Ecclesiæ de tali celebratione, et sanctitate personæ, sicut fit in canonizatione, ex tali celebratione infertur optime sanctitas alicujus, et sic S. Thomas citato loco, articulo primo ex celebratione absoluta Ecclesiæ circa nativitatem Virginis infertur ejus sanctitatem. Si tamen Ecclesia non universaliter celebrat, sed tolerat, aut permittit aliquos celebrare, unde non infertur omnimoda certitudo de sanctitate talis personæ, sed solum quod talis consuetudo non sit reprobanda, ut articulo secundo ad tertium ait S. Thomas. Et ita se habet beatificatio in qua non habetur iudicium, sed permissio Ecclesiæ, nec semper est respectu universalis Ecclesiæ absolute, sed respectu aliquarum personarum tantum. Et licet Ecclesia universalis celebret, si tamen specialem declarationem habet, quod non intendit damnare oppositam opinionem, sicut fit in celebratione festi conceptionis, adhuc ex tali celebratione cum tali declaratione non infertur cum omnimoda certitudine talis sanctitas.

XXIV. Quod si adhuc dicas: Nam permissio celebrandi de aliquo beatificato supponit attestationem miraculorum ejus; ex miraculis autem potest colligi de fide aliquem esse sanctum, respondetur talia miracula solum morali certitudine constare, cum probentur testimonio humano, et ita per se solum non faciunt fidem divinam. Et deinde sola miracula non probant sancti-

tatem, cum non sancti aliquando faciant miracula, quando ordinantur ad confirmationem doctrinæ tantum, si autem ordinentur ad confirmationem sanctitatis personæ tunc ostendunt eam sanctam, ut docet S. Thomas 2-2, quæstione centesima septuagesima octava, articulo secundo. Non autem constat, nisi certitudine morali, quod iste beatificatus fecerit miracula ad confirmationem suæ sanctitatis; an vero solum ad confirmationem doctrinæ, nam si constaret, esset omnino certum, quod esset sanctus, ut diximus.

QUID DE CULTU FIDELIUM ERGA
BEATIFICATOS.

XXV. Quinto quæritur supposito quod pontifex per beatificationem permittit cultum illius sancti, et consequenter indicat sufficiens esse fundamentum ad talem cultum, an possint omnes deferre illi cultum religiosum saltem in eo in quo non prohibentur per litteras beatificationis, licet expresse non concedatur, supponimus in concessione beatificationis aliquando cum restrictione concedi licentiam hujusmodi; vel cum restrictione loci, ut scilicet in tali Ecclesia, vel tali regione aut provincia celebretur, vel cum restrictione temporis, ut scilicet tali die, aut diebus celebrari possit; vel cum restrictione personarum, ut scilicet a talibus personis possit celebrari; vel cum restrictione cultus, ut scilicet talis cultus possit exhiberi, et non amplius, et loquimur de cultu publico, qualis est, qui beatificatis defertur; supponimus etiam nullam esse difficultatem si restrictio fiat cum expressa prohibitione, ut si concedatur licentia celebrandi de aliquo tali die, aut a talibus personis, cum prohibitione ne alio die,

aut ab aliis personis id fiat; sed solum procedit difficultas, quando conceditur facultas cum aliqua restrictione, verbi gratia celebrandi tali die, vel a talibus personis, et nihil prohibetur circa alias personas, vel alios dies.

XXVI. Dico ergo, quod in tali casu solum licet eo modo, et illo cultu publice venerari talem sanctum, sicut a pontifice conceditur: reliqua vero etsi ibi expresse non prohibeantur, non possunt licite eis exhiberi. Et fundamentum sumitur ex prohibitione juris communis facta ab Alexandro III, in capite Audivimus sæpe citato, quod non liceat sine auctoritate Romani pontificis aliquem venerari pro sancto; ergo in eo ad quod talis auctoritas non se extendit, sed restringitur, non licet venerationem exhiberi, quia quidquid amplius fit sine auctoritate Romani pontificis fit. Nec obstat, quod facta beatificatione supponitur talem hominem esse in gloria, et sic potest ei deferri cultus. Non inquam obstat, quia cultus publicus non solum requirit quod homo sit in gloria, sed etiam iudicium aut licentiam Ecclesiæ quæ quoad hoc est restricta.

XXVII. Unde sequitur, quod si restrictio sit circa diem, ut si concedatur a pontifice, quod certo die possit celebrari de aliquo sancto, non potest facta celebratione alio die, etiam per modum devotionis, et missæ votivæ de eo celebrari. Et præter fundamentum positum extat responsio sacræ congregationis cardinalium, qui consulti an liceret missam votivam de sancto non canonizato celebrare, respondit non licere. Missa autem votiva celebratur extra proprium diem. Et hanc declarationem affert Torres ubi supra dubio octavo. Major tamen difficultas est, an liceat tunc transferre talem diem, qui designatur pro celebratione san-

cti, vel si ex ignorantia, aut negligentia omittatur celebratio illa die possit alio die celebrari. Et aliqui censent id non licere, quia ista facultas supposita prohibitione juris communis sit quasi dispensatio, et privilegium; privilegium autem sit stricti juris, non operatur ultra formam suæ concessionis, quare si designat diem in quo possit celebrari, transacto illo die cessat permissio, et licentia celebrandi.

XXVIII. Nihilominus oppositum etiam videtur probabile, quia concessio celebrandi illo die, si aliud non explicatur, intelligenda est juxta communes rubricas, quod celebretur tali die, si non sit impedimentum, alias transferri possit; præsertim, quia intentio concessionis primo, et per se hoc videtur respicere, quod solum uno die celebretur, si quidem congregatio quando censet non licere missam votivam celebrare de sancto non canonizato, supponit proprium diem semper salvum manere, ita quod celebrato die proprio, seu festivitatem propria per modum voti, aut devotionis non liceat celebrare. Circa ipsum autem diem proprium, quod possit, vel non possit transferri, nihil decrevit, unde cum favores sint ampliandi, celebratio diei proprii non est intelligenda ita restricte, quod debeat esse propria secundum computum mensis, quasi mathematice, sed propria secundum modum celebrationis Ecclesiæ, quod impedito die censetur adhuc proprius dies esse illa in quam primo transferri potest. Tutius tamen esset in hac parte consulere congregationem, quia res est magni momenti, et exposita periculo ne celebretur tali die, in quo non licet sine auctoritate papæ. Celebratio autem cum octava si non ponatur restrictio, sed concedatur celebratio de aliquo sancto, posset octava celebrari, quia quamdiu non ponitur

restrictio, intelligitur facta concessio juxta formam rubricæ communis, juxta quam de talibus, aut talibus sanctis licet octavas celebrare. Si tamen designatur certa dies celebrationis, puta quod in die obitus celebrari possit, non est licitum extendere ad octavas, quia octavæ non sunt dies obitus, et ita servatum est in beatificatione prima S. Ignatii, quæ concessa est pro die obitus et fuit necessaria alia licentia pro octava celebranda ut advertit Torres ubi supra.

XXIX. Sequitur præterea, quod si conceditur beatificatio pro religiosis certæ provinciæ, ut quod sacerdotes talis religionis possint de illo sancto celebrare, nullis aliis sacerdotibus id licet. Unde nec etiam ad cantandum solemniter missam potest alius sacerdos subrogari, quia in tali licentia standum est præcise verbis concessionis, sine qua non licet derre illum cultum publicum alicui personæ ex prohibitione juris communis, quæ solum intelligitur quantum sonat licentia, et concessio, et non amplius. Si autem concedatur restrictio ex parte loci, sed non ex parte personarum, ut quod tali die in Ecclesia tali liceat celebrare missam de tali sancto, videtur quod omnes sacerdotes possint ibi celebrare, cum sit licentia sine restrictione personarum, et ubi jus non restringit, nos restringere non debemus, præsertim in favorabilibus.

XXX. Denique, si concedatur cultus cum restrictione, verbi gratia, quod liceat celebrare missam, et nihil dicatur de alio genere cultus publici, puta quod possit appellari sanctus, in litanis poni ejus nomen, pingi cum lumine, etc. Torres ubi supra censet non licere alium cultum exhibere, quam qui in decreto beatificationis conceditur propter fundamentum positum, censetur enim alius cultus prohibitus hoc ipso,

quod est restrictus. Ex usu tamen, et praxi communi videmus aliqua specialia signa cultus publici exhiberi beatificatis, quorum non fit expressa mentio in decreto beatificationis, nam solent deferri eorum imagines, aut reliquiæ in solemnibus processione, et in templo aut altari collocari, et cum lumine pingi, etc. Quare ista damnanda non sunt, etsi in decreto non exprimantur, quia videntur quasi connexa cum celebratione missæ, et recitatione officii, si enim in eorum honorem sacrificium, et officium Deo offertur, per se est connexum, quod in templo, et in altari ubi tale sacrificium, et officium dicitur, speciali signo honoris ejus imago collocetur, in cujus honorem talis publicus cultus exhibetur. Alii vero cultus, qui non habent istam connexionem cum celebratione festi, ut invocare ejus nomen in publicis litanis, (hoc enim in canonizatione facit pontifex, quod eos nominent in litanis.) Nominare illum vocabulo sancto secundum quod hoc nomine intelligimus canonizatum, ut distinguitur a beato, et alia similia, quæ nec communis praxis admittit, nec in decreto beatificationis conceduntur, non licet ei exhiberi, propter restrictionem illam, et stylum, atque usum curiæ.

DE CULTU ERGA NON BEATIFICATOS.

XXXI. Ultimo quæritur, an liceat auctoritate privata, vel etiam episcopi, alicum cultum exhiberi personis, neque canonizatis, neque beatificatis, et quis cultus ille sit. Communis sententia est licere cultum privatum illis exhibere, non publicum, ut docet Sylvester, verbo Canonizatio, et ibidem summa Armilla, et Tabiebiena, Bellarminus libro primo

de beatitudine sanctorum, capite primo; Torres supra citatus, dubio nono et alii. Tota vero difficultas est, quid sit iste cultus privatus, et publicus, et ad quid se extendat. Cultus enim dupliciter potest dici publicus, aut quia a publica auctoritate solemnizatus, aut quia fit coram multis, et non secreto. Et aliqui canonistæ censent publicum cultum debere intelligi illum, qui opponitur secreto, et fit coram multis, ut colligitur ex Joanne Andrea, Hostiensi, et aliis super caput primum De reliquiis, et Veneratione sanctorum. Alii vero, et melius, præsertim theologi intelligunt per publicum cultum illum, qui auctoritate publica institutus est ad colendos sanctos, de quo supra articulo secundo. Et ita privatus cultus non est idem quod secreto factus, sed ille qui nec requirit ministrum publicum ad sui exhibitionem, sicut sacrificium, nec formam habet cultus ab Ecclesia instituti, sicuti est officium divinum, et alia quæ ab Ecclesia solemnizantur, et in peculiare signum sanctitatis alicujus sunt destinata.

XXXII. Ita sentiunt Bellarminus supra citatus et Torres, et Augustinus de Ancona in summa de potestate Ecclesiæ, quæst. XIX, artic. V, in fine. Ratio est evidens, quia viris sanctis dum vivunt licitum est exhibere alicum privatum cultum, sicut osculari manum, et genuflectere, venerari aliquam reliquiam, rogare ut pro nobis intercedant, et hoc etiam coram multis, aut nos eis etiam absentibus commendare, ut pro nobis intercedant; ergo idem a fortiori licebit post mortem. Constat etiam ex multis processibus factis pro canonizationibus sanctorum, quod inter alia proponitur de concursu, et devotione populi ad sepulcrum: et communissimum est invocare sanctos, etiam non beatificatos, ut intercessione eorum Deus aliqua mi-

racula faciat, nec enim ad beatificationem, aut canonizationem proceditur, nisi supponendo miracula alicujus sancti, nec ista fiunt ordinarie post mortem, nisi invocando talem sanctum, et ei reverentiam exhibendo. Licitum ergo est privatis istis orationibus se commendare tali sancto, atque adeo ei aliquam reverentiam exhibere.

XXXIII. Ad quid autem, et quantum se possit extendere iste privatus cultus, respondetur nihil posse exhiberi sanctis non canonizatis, quod ab Ecclesia auctoritate sua sit institutum, aut destinatum pro celebratione sancti, ut celebratio missæ, aut officii divini, aut publicis precibus, id est, litanis nominari. Hæc enim omnia, nec in secreto licet facere pro non beatificatis, quia quamvis secreto fiant, est tamen cultus auctorizatus, et ab Ecclesiæ potestate, quæ publica est, designatus. Unde nullus magis convenit sanctis ab Ecclesiæ judicio receptis, quam cultus Ecclesiæ judicio institutus. Similiter neque illa signa, quæ specialiter ab Ecclesia sunt instituta pro designanda sanctitate alicujus, ut quo pingatur cum lumine, quod ei altaria, et templa dedicentur. Imo etiam in altari privato non licere eam solam ponere, aut cum lumine, existimat Sanchez, lib. II decalogi, cap. XLIII, numer. VII, cum Phylarchio de officio sacerdotis, tomo I, part. II, lib. III, cap. IX; Barbosa in remissionibus Concilii Tridentini ad sessionem citatam XXV. Quæ omnia bene deducit Bellarminus capite decimo citato et Torres ubi supra. Et ex dictis patet, quia sunt cultus publicæ auctoritatis. Licebit tamen ad ejus sepulcrum cereos, et lumina accendere, tabellas in memoriam beneficii, aut miraculi ponere, sepulcrum specialiter venerari, aut adorare, preces privatas, et non juxta stylum Ecclesiæ ordinatas, ei offer-

re. Hæc enim omnia excedunt rationem privati cultus, cum fiant in signum gratitudinis, aut devotionis particularis, et cerei etiam in defunctorum exequiis accendantur. Imo ex usu Ecclesiæ constat in processibus pro canonizatione sanctorum, ut in his qui facti sunt pro S. Raymundo, et S. Hyacintho, et ex bulla canonizationis S. Petri martyris. Et ex S. Antonino tertia parte historiarum, titulo XXIII, §. IV, in fine, colligitur quod istæ tabulæ, aut cerei, aut devotio specialis habebatur ad sepulcra talium sanctorum, etiam antequam beatificarentur, si quidem id referebatur in processu pro eorum beatificatione, aut canonizatione; nec ut ista donaria deferantur, requiritur quod prius facta sit probatio vitæ per episcopum.

XXXIV. Observandum tamen est decretum Concilii Tridentini sessione xxv, in principio, ubi præcipitur, ut novæ reliquiæ, et miracula non admittantur, nisi episcopo recognoscente, et approbante. Sed hoc de reliquiis sanctorum canonizatorum, quæ de novo inveniuntur intelligi censet Azorius 1 part. lib. IX, cap. VIII, quæst. VIII, et Sanchez lib. II decalogi, cap. XLIII, num. X. Et fundamentum est, quia Concilium Lateranense, ut habetur in capite Cum ex eo de reliquiis, prohibet ut inventas de novo reliquiis nemo venerari præsumat, nisi auctoritate Romani pontificis fuerint approbatæ. Quam constitutionem non abrogavit Tridentinum cum dicit, quod in nullo loco, vel Ecclesia etiam exempta, nulla insolita ponatur imago, nisi ab episcopo probata fuerit, nec nova miracula esse admittenda, nec novas reliquiis recipiendas, nisi episcopo approbante; nam concilium in initio capituli dicit ut instruantur fideles de honore reliquiarum, et invocatione sanctorum, juxta decreta sanctorum patrum,

et Conciliorum, et ut derogaret legem latam in Concilio generali deberet de illa facere specialem mentionem, ut est communior sententia doctorum. Solum ergo Concilii decretum intelligitur de reliquiis sanctorum, qui jam canonizati sunt. Hæc omnia specialius submittimus sanctæ matris Ecclesiæ correctioni, nam in his maxime ejus stylus tenendus est.

XXXV. Quæ doctrina mihi maxime probatur et ex illa colligo non posse auctoritate episcopi sine commissione Romani pontificis corpus, aut reliquias sancti non beatificati elevari, et proponi in Ecclesia, ut venerandas, sed juxta jus commune textus allegati debere id fieri auctoritate Romani pontificis. An vero ejus legati, aut nuntii ad id potestatem habeant, debet pensari ex speciali eorum commissione: nam de jure communi id non possunt, cum dispensare non possint in his quæ de jure communi papæ reservata sunt, nisi ad id specialem commissionem habeant. Plura de canonizatione sanctorum legi possunt in bullis pontificum, præsertim tomo primo, bulla prima Cælestini III, Gregorii IX. Et exinde usque ad canonizationem S. Caroli habentur quadraginta duo canonizationes (quæ facta est in anno 1610,) et in his posterioribus consueverunt Romani pontifices semper per modum definitionis determinare quod talis sit sanctus.

ARTICULUS III.

Utrum in ferendis legibus pro universa Ecclesia, et religionibus approbandis pontifex errare possit?

I. In hac re est communis theologorum sententia papam errare non posse in legibus, quas universali

Ecclesiæ proponit, et ad bonum commune ordinantur. Illam tamen quam de fide docuit S. Antoninus III p. tit. XII, cap. VIII, §. II, et Cano lib. V de locis, cap. V, dixit parum a fide distare. Cui accedunt magister Bagnez in prioribus commentariis art. X, dub. VI, et Molina lib. II de justitia, disp. CCCXXV; Bellarminus lib. IV de Romano pontifice, cap. V; Suarez tomo de fide, disp. V, sect. VIII, num. VII; Torres disp. XVI, dub. II, qui in hac parte maxime Cajetanum pungit. Ut tamen clarior istius habeatur notitia duplex est in hac parte sententia. Prima est Cajetani tomo II opusculorum, tractatu VI, capite II, ubi agens de contractu montis pietatis, an sit usurarius, existimat quæstionem, seu determinationem rerum moralium, ut quod iste contractus sit usurarius aut non, per accidens et non simpliciter pertinere ad papæ judicium, scilicet quia sibi promissa est omnis veritas de necessariis ad salutem, et non omnis veritas naturaliter scibilis, aut moralis: si illud necessarium certa ratione nescitur, aut si ab omnibus non capitur, sic pertinet ad Ecclesiæ judicium. Unde inquit, quod sicut in rebus fidei summi pontificis auctoritas omnibus rationibus præest, ita supra ipsum in his scibilibus obtinet ratio lumine naturali roborata. Hæc est Cajetani sententia, non quam illi imponit Torres infra citandus, quod videlicet dixerit definitionem Leonis X in Concilio Lateranensi, qua definiuit montem pietatis non esse usurarium, non esse definitionem fidei. Hoc Cajetanus in illo tractatu non dixit, nec dicere potuit, cum talem tractatum ediderit longe ante Leonem X et Concilium Lateranense.

II. Cajetano subscribit magister Soto lib. VI de justitia, quæst. I, art. VI, qui dicit a Leone X non

fuisse approbatas omnes condiciones illius contractus montis pietatis, sed quatenus sacris canonibus non essent contrariæ, additque eandem doctrinam Cajetani quod licet pontifex habeat summam auctoritatem ad condendas leges, tamen quæstiones morales naturaliter scibiles et quæ non deducuntur ex sacra Scriptura, sicut an sint tales contractus usurarii, necne, non videntur pertinere ad pontificem. Addit tamen Soto in fine articuli non expedit quod omnes contractus usurarii definiantur tamquam de fide si tales sunt, quia ex sola philosophia dependent, et Spiritus sanctus solum intendit sacram Scripturam Ecclesiæ exponere, et leges necessarias sancire. Quare Soto videtur admittere, quod in legibus necessariis a Spiritu sancto infallibiliter ducitur Ecclesia, sicut et Cajetanus quod omnes veritates necessarias eam docet. Unde non videtur esse contra communem sententiam, nec ita debuisse eorum doctrinam mirari Torres.

III. Est ergo secunda, et communis theologorum sententia ea quam in initio dubii istius retulimus. Ut autem fundamentum illius expendatur, notandum est id quod etiam advertit Suarez citatus et Bagnez, non esse inconueniens quod pontifex errare possit in aliquibus circumstantiis legum quas statuit, puta multiplicando præcepta, aut nimium rigorem, vel pœnas infligendo; non tamen posse errare in ipsa substantia, et moralitate legis sciendo contra honestatem morum, aut proponendo inhonestam pro honestis. Itaque in legibus quas Ecclesia proponit possumus distinguere, vel moralitatem earum quasi ex parte objecti, vel applicationem earum ad personas hic et nunc, vel circumstantias, puta rigorem, aut